1364 ig 14. Januarij

Ex Cod. Diplo: Dogelij

177.

37

Transumptum literarum Alberti episcopi Rigensis commutationis ordinis ecclesie Rigensis, in ordinem Premonstratensium, sub titulo, et sigillo Joannis episcopi Tarbatensis. Ex originali.

Universis Christi fidelibus ad quos intrascripta pervenient. Joannes Dei et apostolice sedis gratia episcopus Tharbatensis salutem in Domino, et felicitatis incremento rei geste veritatem. Lateat presentibus evidentius quod honorabilis vir dominus Sifridus Blommebergh canonicus, et procurator honorabilium virorum dominorum Arnoldi prepositi, et Laurentij procuratoris totiusq capituli sancte Rigensis ecclesie nuncius specialis, prout in literis patentibus vidimus aperte contineri: Coram nobis et venerabilibus viris dominis pro testimonio ad hec vocatis et inferius nominatis, personaliter et procuratorio nomine constitutus quasdam patentes literas super plantatione Religionis ecclesie Rigensis, seu commutatione in ordinem Premonstratensem, conjectas sigillo pendenti rotundo de cera viridi ex utraq parte sigillatas, in cuius medio imago episcopi pontificalibus induti, in cathedra sedentis dextram manum erigentis ad benedicendum, et in sinistra baculum tenentis pastoralem, ut verius apparebat, et littere circumferentiales habebantur in hunc modum: Albertus Dei gratia Livoniensis episcopus: non cancellatas, non abolitas, non rasas, nec in aliqua sui parte vitiatas, sed omni prorsus vitio, et suspitione carentes, nobis prout a predictis dominis preposito, et capitulo in mandatis habuit realiter presentavit. Qui quidem

procurator

Sizyrizki

procurator procuratorio nomine nobis humiliter
et cum instantia debita supplicavit, ut easdem li:
teras ab eo recipere, legere, examinare et ausculta:
re in sui et suorum dominorum predictorum uti:
litatem, et favorem, sibiq3 propter diversa viarum
pericula ad perpetuam rei memoriam legale
transumptum et exemplar authenticum cum
interpositione nostri decreti, et auctoritate ordina:
ria fieri mandare dignaremur. Quarum quidem
literarum tenor per omnia sequitur in hec verba:
Albertus Dei gratia Rigensis episcopus: Uni:
versis ad quos hec pagina perveniet, salutem in
Domino. Ad plantandam ecclesie nostre religio:
nem conventum nostrum de ordine Premonstra:
tensi instituere cupientes, de consensu, et consilio
domini Innocentij summi pontificis, cum qui hac:
tenus in Rigensi fuit ecclesia in Premonstraten:
sem ordinem decrevimus commutare. Concedimus
igitur ordini predicto ecclesiam nostram cathe:
dralem in Riga cum omni jure et integritate
earum, quas nunc habent possessionum, eis qui
in ipsa Deo regulante diffiniturí sunt canones
concedentes ius episcopum eligendi, fundum ec:
clesie ad claustrum faciendum in vicino civita:
tis ubi de communi postulaverunt consilio, fratri:
bus assignavimus supradictis, et etiam agros
quos habet ecclesia in insula lapidea. Addimus
eis sylvam incultam de Dwina usq3 ad aquam
australem, salvis agris, qui ibidem a Livonibus
juste ac proprie possidentur. Ut igitur hec nostra
donatio rata permaneat, et integra ecclesiam
nostram Rigensem cum omnibus supradictis
Capenbergensi preposito Arnd. et Scheyder
abbati

abbati Hermanno, qui eam vice Premonstratensis capituli recipiant assignamus. Testes adeantur, prior, Capenbergensis conventus, prior et conventus Scheydensis, Henricus sacerdos de Zon, Joannes capellanus noster. Datum in Capenbergh anno domini 1222 Kalendas Januarij. Inde vero literis sic ut premittur receptis, perlectis, visis, et examinatis ac in persona propria diligenter auscultatis petitiones dicti domini Siffridi procuratoris ratione consonas, et ubigz admissiles reputantes, matura deliberatione super his prehabita, presens transcriptum sive transumptum per infrascriptos notarios sub fide digno testimonio prelatorum et inferius nominatorum, fieri mandavimus, nostrumgz ex certa scientia plenius deliberante, decretum interposuimus, ac nostram auctoritatem ordinariam supra dictam, ut ubigz in judicio, et extra ecclesiastici, vel secularis fori transumptum, sive transcriptum hujusmodi plenariam et indubitatam fidem faciat, acsi littere originales inserte superius et descripte exhiberentur. In cujus rei evidentiam omnium, et singulorum premissorum, transumptum, seu transcriptum hujusmodi, per infrascriptos notarios fieri mandavimus, nostrigz sigilli majoris munimine roborari. Datum et actum in castro nostro Tharbatensi anno domini millesimo treentesimo secundagesimo quarto, decima quarta die mensis Januarij. Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Thiderico de Urschesen preposito, Thiderico Uresen canonico ecclesie Tharbatensis, fratre Friderico de Wāplone confratre supradicte ecclesie Rigensis, et Joanne de Beschoperode notario

notario publico subscripto in iisdem dictis testibus ad premissa vocatis, et rogatis.

Et ego Fridericus de Bolkove cleri: cus Colberensis dulcesis publicus imperiali auctoritate notarius, exhi: bitioni, presentationi, recepcioni, lectioni, et auscultationi perscripta: rum literarum originalium, ac pe: titioni per dictum dominum Siffridum procuratorem, auctoritatis et decreti interpositioni cum omnibus aliis et singulis per supra dictos dominos videlicet episcopum et procuratorem in hac parte factis, et habitis una cum dictis testibus presens interfui, eaq; vidi fieri, et audivi, presens tran: sumptum cum notario infrascripto ad ipsas lite: ras originales diligenter, et fideliter auscultatum in hanc publicam formam de mandato dicti domi: ni episcopi redegi, signoq; meo solito signavi rogatus, et requisitus in evidentius testimonium omnium premissorum.

Et ego Joannes de Byscoperode cleri: cus ejusdem dulcesis, publicus impe: riali auctoritate notarius, producta: rum literarum originalium exhibitio: ni, presentationi, recepcioni, lectio: ni, examinationi, et ausultationi, ac petitioni per dictum dominum Sif: fridum procuratorem authoritatis, et decreti interpositioni, aliisq; omni: bus et singulis premissis, per su: pra dictos domi nos episcopum et pro: curatorem in hac parte factis, et habitis

una cum

una cum notario, et testibus supra:
scriptis presens interfui, eaq3 dum sic
ut premittitur, fierent, et agerentur,
vidi et audivi predict. asq3 literas ori:
ginales per eundem Fridericum nota:
rium presentatas de. et quod presens
transumptum, sive transcriptum,
et ipsas literas originales concorda:
re per omnia inveni, hinc me ut te:
stem et notarium publicum subscri:
psi requisitus, et vocatus in evidens
testimonium omnium premissorum.